



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Philippo Illvstri Francorum Regi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

tent. Si vero praefati Canonici ab accusatione destiterint, & probare noluerint quod proponunt; vos, si praefatus Episcopus super his fuerit infamia nota relisperitus, purgationem ipsi canonicam indicatis, ut cum tribus Episcopis suam, si valet, innocentiam purgare non differat; & eam, si praestiterit, auctoritate apostolica admitentes, eum ab impetitione Canonicorum penitus absolvatis, & ab objectis criminibus denuncietis insontem. Verum si se non poterit juxta sanctiones canonicas expiare, vos eum suspensum ad nostram praesentiam sublatto appellationis obstaculo transmittatis, ut in negocio ipso sicut expedire viderimus auctore Domino procedamus. attentius provisuri ut mandatum apostolicum ita prudenter ac diligenter exequi studeatis, ut nos devotionem & solicitudinem vestram possimus merito commendare. Volumus autem nihilominus & mandamus ut eidem Episcopo districtius injungatis, ne bona Lausannen. Ecclesiae hujus occasione negotij quomodo libet alienare praesumat, in quorum distractione dicitur haec tenus satis enormiter excessisse. Si qua vero partium legitimè citata veltram praesentiam adire contempserit &c. Nullis literis obstantibus harum tenore tacito &c. Quod si omnes &c. tu frater Archiepiscope cum eorum altero &c. Datum &c. ut supradictum Id. Maij.

*PHILIPPO ILLVSTRI  
Francorum Regi.*

Epist. 171.  
Ut repudiata  
pellice, legitimam  
uxorem  
recipiat.

**L**icet dextera Domini suam fecerit in nostra promotione virtutem, de terra suscitans inopem, & de stercore erigens pauperem, & illud nos voluerit dignitatis solium obtinere, ut non solum cum Principibus, sed de Principibus etiam judicemus; cum tamen conditio nem humilitatis nostrae conspicimus, & de quo ad quid simus vocati pensamus, præter generale debitum pastoralis officij quod singulis nos constituit debitores, tibi & regno tuo specialiter nos fatremur teneri, in quo nos recolimus in studiis literarum ætatem transegisse minorem, ac divino munere quante cunque scientiae donum adeptos, beneficiorum impensam multiplicem suscepisse. Ad cumulum autem hujus præcipua dilectionis accedit progenitorum tuorum grata memoria; quos, sicut Christianissimos

Principes, nec ventus turbinis, nec impetus tempestatis ab Ecclesia Romana potuit aliquando separare, quin potius tanto amplius in ipsius devotione ferverent, quanto fortius in naviculam nostri pescatoris fluctus insurgerent, & mare tumultuosius ventorum incuribus fluctuaret. Vnde cum in minori quondam officio constituti serenitatem regiam & regnum Francie speciali amplexari fuerimus dilectionis affectu, nunc ad apicem. Summi Pontificatus, licet insufficientes, assumpti, priyatis affectibus, communibus supervenientibus causis, tam ardentiùs in regia serenitatis dilectione flagramus, ut occasionem nobis precemur à Domino indulgeri, per quam affectus interior prodeat in effectum, & prærogativa synceritatis, quam ad te gerimus, in opere pateat universis. Verum quanto amplius celstitudinem tuam honorare cupimus, & ad profectum tuum ardentiūs aspiramus, tanto magis de tua sumus salute solliciti, & gravius ferimus, si nostræ caritatis affectus circa serenitatem tuam, te præserim dante materiam, videretur (quod absit) refrigerere, vel tepere. Sanè quantum scandalum sit exortum ex superinductione illius quam post multiplices inhibitiones Ecclesie (quarum unam factam per bonæ memoriae M. sanctor. Iohannis & Pauli Presbyterum Cardinalem, tunc apostoli. cae sedis Legatum, & dilectum filium C. Subdiaconum & Notarium nostrum, cum felicis record. Celestini Papæ prædecessoris nostri literas in tua fecere presentia recitari, que inhibitionem apertius continebant, ad te novimus pervenisse, & post datas & receptas epistolæ venerabilibus fratribus nostris Sueßionen. & Noviom. Episcopis, nunciis tuis propter hoc apud sedem apostolicam constitutis) superinducere voluisti, tibi credimus ex parte liquere, in quo ad discretionem veritatis non debet vincere sensualitas rationem. Nostri enim quod morbus iste jam vicina corrumpit, & ad excusandas excusationes in peccatis factus es ceteris excusatio, & in nos & Romanam Ecclesiæ detractionem non modicam suscitasti. Quantum autem ex hoc te ipsum læseris, ex eo manifeste perpenditur, quod omnia tibi contraria succederunt, quæ prius prospera succedebant, nec datum est tibi frui etiam pace diurna, quin, et si non corpus, mentem saltem solicudo

Vide Mallo-  
num in Anna-  
libus.

Vide supra epist.

gravis urgeret. quod tibi esse debet evi-  
dens argumentum quod propter hoc di-  
vinam indignationem incurris; præ-  
fertim cùm superinductæ consanguinitas  
opponatur, carissimæ autem in Christo  
filia nostra I. Reginæ Franciæ non nisi  
impedimentum fuisset affinitatis objec-  
tum. Ut igitur saluti tuae consulas & ho-  
nori, ut nos & Romanam Ecclesiam à la-  
biis iniquis & lingua liberes detractrice,  
ut Dominum tibi reddas propitium,  
quem iratum tibi haec tenus reddidisti; ro-  
gamus serenitatem regiam, monemus,  
& exhortamur in Domino, & in remis-  
sionem injungimus peccatorum, per apo-  
stolica tibi scripta mandantes, quatenus  
in te ipsum aciem tuae considerationis re-  
flectens, sic tuos actus dijudices, ut ab  
aliis non debeas judicari. Memor esto  
conditionis tuae, & novissima juxta ver-  
bum sapientis attendens, quod scandalum  
in Ecclesia parit, quod nobis detrac-  
tionem generat, quod in perniciem tuae  
salutis vertitur, & in dispendium tortius  
regni redundat, alios simili corrumpens  
exemplo, corrigas per te ipsum, super-  
inductam de finibus regni Francorum  
removeas, & eam reducas in regnum &  
Reginam appelles ac facias appellari,  
mandans ei ab omnibus tanquam Re-  
gina deferri, quam à te minus rationa-  
biliter abjecisti. Quod si postmodum  
usque adeo serenitatem tuam oriens ex  
alto respexerit, & cor tuum lux illa di-  
gnata fuerit illustrare quæ illuminat om-  
nen hominem venientem in hunc mun-  
dum, ut prædictam Reginam (quam ex  
testimonia plurimum, quibus est religio-  
nis & dignitatis ratione credendum, mi-  
ra sanctitatis & honestatis audivimus es-  
se) retineas in gratia conjugali, (præfer-  
tim cùm vix nobilorem ducere possis, &  
id tibi plurimum expedire noscatur) in  
his facilioris & ad votum tuum celerius  
exequendas quæ serenitati tua diebus  
istis incumbunt, gaudebinus plurimum,  
& in agendis tibi gratiarum actionibus  
assurgemus. Quod si forsitan (quod absit)  
deluper datum non fuerit, sicut de jure  
tenemur, juris tibi licentiam non nega-  
mus, quo minus facta prius restitutione  
audiamus & exaudiamus quod rationa-  
biliter duxeris proponendum. Si autem  
(quod non credimus) nec famæ tuae nec  
honoris consuleres, nec mandatis nostris  
nec monitis obedires, quantumcunque  
nobis molestum existeret te in aliquo

molestare, contra te tanto amplius mo-  
veremur & manum curaremus apostoli-  
cam aggravare, quanto serenitatem tuam  
sincerius diligimus, & quos amamus, se-  
verius arguere intendimus & durius ca-  
stigare; cùm inspirante Domino immu-  
tabilem animum & inflexible proposi-  
tum habeamus nec prece nec pretio nec  
amore nec odio declinandi semita re-  
ctitudinis; sed via regia incedentes, nec  
ad dexteram declinabimus, nec devia-  
bimus ad sinistram; sine personarum ac-  
ceptione facientes judicium, quia non  
est personarum acceptio apud Deum.  
Non ergo posset, quantumcunque con-  
fidas de tua potentia, subsistere ante  
faciem, non dicimus nostram, sed Dei,  
cujus, licet immeriti, vices exercemus  
in terris, cùm auctore justitiae, qui est Ve-  
ritas, pro justitia & veritate pugnante,  
inimici tui in te ac regnum Francie præ-  
valerent, nec valerer temporalis tuus  
& exiguum potentatus divinis ac aeternæ  
repugnare omnipotentia majestatis. Fa-  
cias, fili carissime, de necessitate virtu-  
tem, & nobis in hoc, immo creatori  
tuo, per quem vivis & regnas, humiliter  
satisfacias; quatenus & ipsum tibi red-  
das propitium, & nos tibi constituas am-  
plius debitores: sciturus pro certo, quod  
nisi mandatum nostrum hac vice cura-  
veris adimplere, non differemus ulte-  
rius quin officij nostri debitum exequamur.  
Datum &c. ut suprà XVI. Kalend.  
Iunij.

V V I L L I E M O R E M E N.  
Archiepiscopo, sanete Sabine  
Cardinali.

**P**ia patrum prædecessorūmque no-  
strorum solicitude se circa statum  
Ecclesiæ in sua integritate servandum  
mirabiliter exhibuit circumspectam, ut  
videlicet ipsas, quæ secularium turbati-  
onum fluctibus concutuntur assiduis,  
protectione sedis apost. specialiter præ-  
muniret, & cùm ipsa præsens omnibus  
adesse non possit, per convenientia in-  
strumenta eidem indulta sua potentiam  
auctoritatis extendens, perverlorum ma-  
litiam coerceret. Sed cùm malitia ho-  
minum excreverit in immensum, nec  
modum sibi perversitas eorum effrana-  
ta imponat; nos, quos eidem sedi gratia  
divina præfecit, qui prædecessorum no-  
strorum mandata seu institutiones solve-  
re non venimus, sed implere, juxta ma-

Epi. 172.  
Vt existat con-  
servator privi-  
legiorum Eccle-  
siae S. Germani  
de pratis Pau-  
li.

M iii